

VITA MONACENSIS.

m = Monacensis lat. 15514 saec. X vid. praef. p. XIV.

Pompeio et Crasso consulibus.

Pompeio et Crasso consulibus anno Ptholemei regis Aegypti octavo in pago Andensi in villa quae Andis dicitur iuxta Mantuam nascitur Virgilius, quem alii de Romanis alii de Mantuanis parentibus natum autumant, infimis tamen, quia pater illius figulus fuit Istimicon nomine. mater eius Maia vocatur. quae de eo praegnans fertur in somnis vidisse se enixam virgam lauream et subito in magnitudinem terrebinti crevisse. quae cum fratri suo Lucretio poetae somnium retulisset, ait ad eam: paries, inquit, cito filium, qui licet non de magno sit genere, habebitur tamen clarus aut de aliquo artificio aut de poematibus aut de quolibet opere mirando. unde nato illum oportet poetis exhiberi et quia virgam vidisti, a virga Virgilius vocabitur. unde et postea Publius Virgilius Maro vocatus est. 'Publius' pronomen est a poplite grandi vel ut alii a publica re id est regali. 'Virgilius' a virga vel ut alii 'vere gliscens' propter scientiam eructuantem et viridem. Maro autem niger vel eloquens dicitur. hic primum Cremona civitate in Italia eruditus, deinde Mediolanio, ut ipse ait. sumpta toga Mediolano egreditur. post breve tempus Romam venit, tempore igitur, quo Iulius Caesar regnabat in Italia, Brutus Casius XII plebes Tuscorum regebat, id est inferiores partes